



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 38. Epistolæ Legatorum Franciæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

§. XXXVIII.

Sæculum VI.

A. C. 552.

Epistolæ Legatorum Franciæ.

Justinianus Imperator Legatum, cui nomen Leontius, ad Theobaldum Regem Francorum miserat, qui hunc Principem ad ineundam cum Romanis adversus Gothos armorum societatem invitaret. Theobaldus Rex remisit cum Leontio Leodardum ex Gente Francorum tresque alios Legatos, quibus Clerici Italiæ amplissimum scripserunt Libellum, eaque omnia, quæ Papa & alii Episcopi Catholici Constantinopoli patiebantur, illos edocebant. Dicunt Papam jam annos sex Constantinopoli morari, unde dispicitur, eos anno 552. scripsisse. *Om-* *to. 5. Conc.*
nibus, quæ contra Papam aliosque Oc- *p. 407.*
cidentales, usque ad tempus, quo Eccle-
sia S. Petri egressus fuerat, acta essent,
enarratis, subjungunt: miserunt etiam *p. 409,*
viros in Provincias Italiæ, qui Papæ &
Dacio Episcopo invidiam crearent, &
populos permovere conarentur, ut alios
Episcopos sibi ordinari deposcerent, novæ
eorum Doctrinæ consensuros. Imo tanta
Græcorum fuit nequitia, ut per quosdam
subornatos litteras supposititias nomine Pa-
pæ scriptas, in Italiam deferente quodam,
cui nomen Stephanus, miserint, quibus
omnium animos in Pontificem exarceba-
rent. Itaque obtestamur vos, ut hæc om-
nia

XX 5

nia

Sæculum VI. A.C. 552. Sup. S. 24. *nia cito in Provinciis vestris manifestis, ne quis ab his impostoribus decipiatur, aut a quodam, nomine Anastasio, quem S. Episcopus Arelatensis Aurelianus ante biennium ad Papam delegavit; is enim cum aliis conditionibus Constantinopoli abire non permetteretur, largis donationibus seductus, jurejurando promisit, se omnibus Episcopis Galliae persuasurum, ut tria Capitula damnarent, & Papæ Epistolas, quibus Episcopus Galliae, quid ageretur, certiores reddere volebat, deferendas accipere noluit. Ergo Episcopos Regionum vestrarum monete, ut Papam & Episcopum Dacium datis litteris consolentur, & confirment, ne novam Doctrinam recipiant. Postquam Constantinopolim perveneritis, ipsis, ut poteritis, opem ferite, præprimis Dacio. Petite ut ei ad Ecclesiam suam, jam annis quindecim vel sexdecim absenti, redire liceat. Nam omnes ferme Episcopi, quos ab ipso ordinari consuetudo postulat, ut scitis, defuncti sunt, jamque innumera populi multitudo sine Baptismate moritur.*

§. XXXIX.

Concilium Parisiense secundum.

v. Coint. an. 551. n. 5. to. 5. Conc. p. 811. *Sancto Aureliano Arelatensi brevi postea ad superos translato, Sapaudus Successor ejus, secundo Concilio Parisiensi circa annum 551. celebrato præfuit.*